Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2057
Quelle:
Copyright:

quae incipit: *Ad Corinthios scribens Apostolus significatum est ait michi de vobis fratres mei ab his qui sunt cloes* &c. Dissertatio porro haec *Librum* IV. Operis paullo supra *cit.* edit. *Venet.* p. 314. constituit. Meminit ibi *Rupertus* Epistolae *Friderici Colon.* Archiep. ad *Adalberonem* Ep. *Leodiens.* qui sedem ab anno 1122. ad an. 1128. tenuit, *ante non multos dies* datae, unde scriptionis tempus innotescit. Deficit *Codex* in his *Cap.* 6. verbis: *Si regulari disciplina constricti et intus absconditi* — —.

DXLI.

521 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 159. 4. per duas columnas nitide scriptus, rubricis distinctus, olimque pertinens ad *M. Simonem Tissnoviensem* duo continet Opera, quorum Primum *Marsilii Menandrini* rectius *Mainardini* a patria dicti *Patavini* Liber dictus *Defensor Pacis*, quo circa an. 1324. caussam Imperatorum, et tunc quidem *Ludovici Bavari* contra Pontifices egit. Tradunt de Viro hoc *Henr. Wartonus* apud *Cave Vol. II. append.* p. 26. *Nic. Comn. Papadopolus Hist. Gymn. Patav.* T. II. p. 154. *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XII. p. 33. quorum Posteriores duo mea quidem sententia perperam eum Ordini *Minorum* adtribuunt, ea fortasse solum ratione ducti, quod eadem cum quibusdam hujus Ordinis viris et nominatim *Guil. Occamo*, senserit. At vero obstat Rectoratus Universit. *Parisinae*, quem teste *Bulaeo Sec. VI.* seu T. IV. p. 163. et 974. Noster a. 1312. gessit, et si dicas, quod *Papadopolus* innuere videtur, serius Eum ordini nomen dedisse, silentium *Waddingi* in *Scriptt. O. M.* reclamat, qui, cum *Michaelem de Caesena, Guil. Occamum* &c. non tacuerit, neque Nostrum tacuisset, siquidem ad Sodalitium suum pertineret. Gravior alter error *Fabricii*, quem et *Jöchero* adlevit, *Marsilium* Rectorem Universit. *Viennensis* ad an. 1312. constituentis e *Lambecii* L. II. p. 257. edit. *Kollar. Analect.* T. I. p. 335. ubi tamen *Lambecius* apertissime *Parisiensem* nominat. Verum jam ad opus ipsum advertamus. Extat illud post edit. *Basil.* 1522. in *Goldasti Monarchia S. Rom. Imperii* T. II. P. I. *Francof.* 1614. p. 154. f. caret tamen ibi Conspectu omnium trium *Dictionum*, in quas divisum est, qui nobis 5. Columnas occupat, et ipsius *Marsilii* esse videtur. Illius initium: *Prima dictio* (distinctio?) *huius libri continet capitola 19. quorum primum est de Intencione summaria* &c. Hic porro Conspectus e *Capitum* singulorum Argumentis constans in *Edit.* per singula *Capita* seorsim distributus est. *Capitum* divisio aequaliter procurrit, usque ad *Dictionis* II. C. 6. quod in *Codice* sectum est in duo, verbis illis: *Ceterum que de clauium sacerdotalium potestate seu auctoritate per*